



Sigismundus ex illustri familia natus, & in omni genere literarum & uirtutum a teneris annis educatus fuit, in quibus etiam plurimum profecit: erat enim felici ingenio praeditus, atque magna prudentia & rara facundia conspicuus. Itaque Maximilianus Cæsar eum plurimum dilexit, & in suum consilium admisit. Eo tempore anno 1515 reges Poloniæ, Vngariæ, & Boemiarum Viennam ad Cæsarem uenerunt, & contractis ac conclusis filiorum & neptunum matrimonijis, inter se amicitiam & pacem confirmarunt. Inter cætera Maximilianus pollicitus erat, se Oratores suos ad Basilium Moscorum ducem missurum, qui inter hunc & Poloniæ regem quoque pacem facherent. Ad eam legationem Cæsar hunc Sigismundum ordinauit, qui etiam initio sequentis anni, cum ex Dania redisset, hanc longinquam & periculosa profectionem suscepit, & ad Moscouiam urbem perueniens, omnia optimè expedivit. quamquam eo tempore nihil poterat perfici, cum Polonus interim, dum de pace ageret, instructo exercitu Opotzka castrum oppugnabat. Itaque Sigismundus Oenipontum ad Cæsarem rediit, & non solum quæ in mandatis habuisset retulit, uerum etiam Moscuitarum ceremonias, leges, & res gestas ordine enumerauit: quo quidem sermone Cæsar plurimum delectatus fuit. Postea à Cæsare in Vngariam ad Ludouicum regem Legatus mittitur, atque negotio cōfecto ad Cæsarem rediit, qui etiam sequenti Ianuario 1519 obiit.